

43. *Silphium*. Speciem non dignosco, imprimis calyx in Tua valde singularis. Habito jam ruri remotus a Bibliotheca mea, quae in urbe est. *Bupthalmum speciosissimum* etiamnum mihi obscurius est, licet rude possideam exemplar. Conferas itaque Arduini Specim. 1. t. 12. et Schreb. cent. 1. t. 6. Si neutrum horum, sine dubio tuum novum erit; habui et solam descriptionem hujus *Buphth.* affinis a D. Zoega, sed non vidi specimen.

89. *Medicago*. hanc non vidi. singularis caule erecto.

93. *Ononis hircina*. ex figura hanc non dignosco. difficile admodum est de plantis ex figura, ut ut optima pronuntiare, adeoque ad alios numquam rescribo, nisi videam ipsas plantas; sed eorum figurae minus praestant.

Interea Tua certissime est *Ononis pubescens* Mantiss. 2. p. 267.

Misisti *Lichenem* elongatum in fodina lectum, vix dubito quin sit varietas mera *Lichenis islandici*, licet nulla cilia, et toto coelo diversus.

Misisti simul *Hieracium*, est hoc omnino *Hypochoeridis* species, ut ex paleis video; an varietas *Hyp. maculatae* non dixero; conferas ipse, calyx certe magis hirsutus, an ex loco?

*Mantissa* mea ante duos menses prodiit.

Adscripsi meis speciebus tuas tabulas hodie omnes.

S. Rex noster non curat libros Botanicos. Si S. Regina vidua, quae est Berolini, rediisset, tentarem suadere eam coemere hoc opus. redibit proximo vere.

Habeo *Cytisos Austriae* omnes exsiccatos, necdum videre possum e speciminibus quod sint diversarum specierum omnes.

*Silphii terebinthinacei* semina perquam grata essent.

Doleo quod ultimo sata *Drypis* semina non succrevere; si habeas plura, quaeso mittas unum alterumve.

*Prenanthes vimineae* semina, si dare velles, essent admodum grata.

Upsaliae 1772, d. 16. Januarii.